

Seneca – Briefe an Lucilius, Buch VI.LXI: Der Weise folgt seinem Schicksal

Desinamus quod voluimus velle.

Ego certe id ago ne senex eadem velim quae puer volui.

In hoc unum eunt dies, in hoc noctes, hoc opus meum est, haec cogitatio, imponere veteribus malis finem.

Id ago ut mihi instar totius vitae dies sit;

nec mehercules tamquam ultimum rapio, sed sic illum aspicio tamquam esse vel ultimus possit.

Hoc animo tibi hanc epistulam scribo, tamquam me cum maxime scribentem mors evocatura sit;

paratus exire sum, et ideo fruar vita quia quam diu futurum hoc sit non nimis pendeo.

Ante senectutem curavi ut bene viverem, in senectute ut bene moriar;

bene autem mori est libenter mori.

Da operam ne quid umquam invitus facias: quidquid necesse futurum est repugnanti, id volenti necessitas non est.

Ita dico: qui imperia libens excipit partem acerbissimam servitutis effugit, facere quod nolit;

non qui iussus aliquid facit miser est, sed qui invitus facit.

Itaque sic animum componamus ut quidquid res exiget, id velimus, et in primis ut finem nostri sine tristitia cogitemus.

Ante ad mortem quam ad vitam praeparandi sumus.

Satis instructa vita est, sed nos in instrumenta eius avidi sumus;

desse aliquid nobis videtur et semper videbitur: ut satis vixerimus, nec anni nec dies faciunt sed animus.

Vixi, Lucili carissime, quantum satis erat;

mortem plenus exspecto.

Vale.